

L. S.

*M*ulti officiose petierunt, ut oratiunculam, quam raro exemplo nuper habui, in lucem ederem. Equidem huic desiderio non prorsus resistendum putavi. Quo animi sensu affectus fuerim, quum de memoria beneficiorum Dei, in munere publico decem lustra feliciter gesto, in me collatorum, solenniter celebranda cogitarem, et me deinceps, re deliberata, ad hoc opus exsequendum accingerem, publice testatus sum. Qua quidem testificatione, ad desideria eorum, quibus res meae cordi sunt, in publicum proferenda, iis praesertim rem gratam me facturum existimavi, qui qualemcunque hanc orationem habenti adesse, quod lubenter voluissent, non pote-

*rant. Probe scio, quantum ei desit ad eam eloquentiae praestantiam et vim dictionis, quam et argumenti ratio, et mea ipsius voluntas, nihil quod ea indignum esset, in medium afferendi, requirere videretur. Sed sincero laudes Dei palam celebrandi desiderio satisfacere volui, tametsi id non nisi tenui et imbecilli oratione a me praestari posset. Nihil amplius et habenda et nunc edenda oratione spectavi.*

*Scripti Lugd. Bat. xxv Nov.*

MDCCCLXXVIII.

